

PONTIFICIUM CONSILIUM
DE LEGUM TEXTIBUS

COMMUNICATI^NE^S

VOL. XXXIII - N. 1

2001

COMMUNICATIONES

PONTIFICIUM CONSILIUM
DE LEGUM TEXTIBUS

Piazza Pio XII, 10 - 00193 Roma

N. 1

IUNIO 2001

Semestrale

Sped. Abb. Postale - 50% Roma

EX ACTIS IOANNIS PAULI PP. II

Nova lex fundamentalis Civitatis Vaticanae	3
Allocutio ad Auditores, Administros Advocatosque Rotae Romanae coram admissos.	9
Allocutio ad eos qui in Cursu de foro interno Paenitentiariae Apostolicae partem habuerunt.	16

ACTA CONSILII

QUAESTIONES QUAEDAM STUDIO PONTIFICII CONSILII SUBMISSAE	21
RELATIONES CUM IURIS CANONICIS STUDIOSIS	23

EX ACTIS SANCTAE SEDIS

CONGREGATIO PRO GENTIUM EVANGELIZACIONE

Istruzioni sull'invio e la permanenza all'estero dei sacerdoti del clero diocesano dei territori di missione	24
--	----

CONGREGATIO DE CULTU DIVINO ET DISCIPLINA SACRAMENTORUM

Responsum ad dubium propositum de SS.mo Sangiune Christi.	30
---	----

EX ACTIS PONTIFICIAE COMMISSIONIS CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO

Coetus studiorum « De Matrimonio » (Sessio IV)	32
Coetus studiorum « De Matrimonio » (Sessio V)	62
Coetus studiorum « De Matrimonio » (Sessio VI)	82
Coetus studiorum « De Matrimonio » (Sessio VII)	109
NOTITIAE	133
OPERA A CONSILII BIBLIOTHECA RECEPTA	134

**COETUS STUDIORUM
« DE MATRIMONIO »**

Sessio VI^a

(dd. 11-16 novembris 1968 habita)

Diebus 11-16 novembris 1968, in Aula sedis Commissionis Codici Iuris Canonici recognoscendo, convenerunt Consultores designati ut membra Coetus studiorum ad recognoscendas normas CIC de Matrimonio.

Interfuerunt Exc.mi Schneider, Lourdusamy et Banks; Ill.mi ac Rev.mi Anné, Damizia, Quinn, Garcia Barberena, Cremin, Chen-Tao-Che, Flattén; Rev.mi PP. Huizing et Leclerc; et Cl.mus Giacchi.

Praesentes etiam erant Rev.mus P. Bidagor, Secretarius Generalis et Rev.mus Voto, a studiis ipsius Commissionis.

Octavae adunationi praefuit Em.mus Card. Pericles Felici, Praeses Commissionis; ceteris autem adunationibus praefuit Rev.mus Secretarius.

Rev.mus Huizing functus est munere Relatoris et Rev.mus Voto munere actuarii.


In praesenti Sessione Consultores continuarunt considerationem quaestionum de consensu matrimoniali, de quo iam in Sessione praecedenti disceptaverunt.

**Adunatio I^a
die 11 novembris 1968 – mane**

Rev.mus Secretarius salutem dicit Consultoribus et introducit argumenta in hac Sessione examinanda, deinde petit a Relatore ut singulas quaestiones proponat.

Rev.mus Relator memorat in fine Sessionis praecedentis supplementum studii Consultoribus commissum fuisse circa sequentes quaestiones:

1. Num dolus qui in valorem matrimonii incidat, a tertia persona inculti possit;
2. Num dolus debeat esse incussus ad extorquendum consensum;
3. Num dolum committens accusare matrimonii nullitatem valeat;
4. Num, omnibus mature perpensis, effectus erroris dolosi in matrimonii validitatem in Codicem recipi debeat.



Consultores autem, dicit Rev.mus Relator, in suis votis, praeter respon-
sionem his quaestionibus, haec alia quinque dubia proposuerunt ut in
praesenti Sessione perpenderentur:

5. Num, praeter dolum circa qualitatem personae, etiam dolus circa es-
sentialem matrimonii proprietatem consensum invalidum reddere debeat;
6. Num statui debeat dolum tunc tantum irritare consensus si det cau-
sam contractui;
7. Num exprimi debeat dolum gravem esse debere, seu cadentem in
virum constantem;
8. Num dolus in re subiective tantum gravi consensum invalidum red-
dere debeat;
9. Num pars dolum passa amittere debeat ius accusandi matrimonii
nullitatem post annum utilem.

Opportunum videtur, dicit Relator, ut de singulis successive dubiis di-
scussio fiat, priusquam de formula canonis deliberetur, excepta tamen IV^a
quaestione de qua ultimo sermo erit.

Consultoribus placet talis ordo laboris propositus a Relatore.

**Dubium I: *Num dolus qui in valorem matrimonii incidat, a tertia persona
incuti possit***

Consultores in suis votis sequentes responsones dederunt:

1. Octo Consultores affirmative responderunt (Exc.mus primus Con-
sultor et Rev.mi secundus, tertius, quartus, quintus, sextus, septimus et oc-
tavus Consultores) ob sequentes rationes:

a. de facto quandoque casus occurrunt in quibus pars decipitur a tercia
persona (Exc.mus primus Consultor); imno, apud populos ubi parentes ma-
gnani in matrimonio filiorum contrahendo partem habent, dolus si qui sit,
quasi semper committitur a tercia persona (Rev.mus septimus Consultor).

b. sive sit compars sive tercia persona quae decipit, idem vitium lo-
cum habet, scilicet perceptio intellectiva graviter et iniuste turbatur
(Rev.mus septimus Consultor); ceterum valde extraordinarium erit talem
fraudem evenire altera parte inscia (Rev.mus octavus Consultor);

c. lex in casu non fertur in poenam decipientis, sed ad tuendam
partem deceptam contra gravissimam iniuriam et damnum imminens con-
sortii vitae difficillimi et intolerabilis (Rev.mi quintus, sextus et octavus
Consultores);

d. sicuti in materia de metu, indifferens est ad effectum irritationis matrimonii num metus illatus sit a contrahente, an a tertia persona, sciente vel nesciente contrahente ipso, ita in hac materia, indifferens est ad effectum inductionis doli, utrum dolus inductus sit a contrahente an a tertia persona. Sufficit ut persona ingenua in errorem qualificatum per machinationem vel per reticentiam dolosam inducatur (Rev.mus quartus Consultor);

e. argumentum accessorum praebet analogia canonum 103, § 2 et 1685 n. 2. In his quoque normis legislator consequentias iuridicas contra dolum statuit sine ullo discrimine de personis a quibus dolus patratus sit (Rev.mi sextus et octavus Consultores).

2. Tres Consultores affirmative quoque responderunt, sed tantum sciente parte in cuius favorem dolus patratus sit (Exc.mus nonus Consultor et Ill.mi decimus et undecimus Consultores).

Undecimus Consultor hanc rationem affert: Quando dolus inducitur a parte, *ipsa scit* suam voluntatem non cohaerere cum voluntate alterius circa obiectum in quo consensus versatur, quia voluntas alterius partis intendit qualitatem, quae de facto deest. Talis disparitas obiecti voluntatis, per dolum inducta, est intima ratio vitiis consensus et nullitatis matrimonii.

Quando vero dolus a tertia persona inducitur, duo dantur casus quod attinet ad partem in cuius favorem dolus inductus sit: vel *ipsa scit* et tunc consensus vitiatur ob illam disparitatem obiecti voluntatis, vel nescit et tunc nullum vitium consensus datur ex capite doli.

3. Rev.mus duodecimus Consultor negative respondet ob sequentes rationes:

a. Matrimonium hodie praesertim concipitur ut actus personalis; propterea in hac gravi deliberatione iuvenes nullo modo influxum exterrum ferunt.

b. Ex matrimonio oriuntur relationes inter sponsos, non inter sponsos et tertiam personam; ideo tantum ipsi responsabiles sunt huius decisionis.

c. Iuvenes ad matrimonium amore trahi debent, non per influxum aliorum.

d. Sponsi sibi assumunt tantum propriam non aliorum responsabilitatem.

e. Hoc impedimentum non ita concipi debet ut fere omnia matrimonia nulla evadant; sed hoc periculum adesset si admitteretur dolus a tertia persona.

f. Si validitas actus matrimonialis dependeret a modo agendi tertiae personae, tunc fere nullum matrimonium esset certe validum, quia fere semper sunt ex parte aliorum iuvenum et consanguineorum obtrectationes, invidiae, malevolentiae et similitates.

Rev.mus Relator adhaeret sententiae affirmativa et aliam rationem affert ex analogia cum can. 542, n. 1 (de ingressu et receptione in novitatum) et cum can. 572, § 1, n. 4 (de emissione professionis) ubi dolus tertiae personae actum irritum reddit. Invaliditas ibi statuitur ad tuendam a cuiuscumque iniuria capacitatem obiectivae deliberationis.

Rev.mus Relator praeterea ex doctrina sequentia affert ad confirmandam sententiam Exc.mi noni Consultoris et Ill.mi decimi et undecimi Consultorum: «*qui non facit quod facere debet, videtur facere adversus ea quae non facit*» (D.50.17.121). Notat «*qui non facit, quod debet, videtur facere, quod non debet*» Joannes Andreae, Novella in VI, I, 6, c.13, n. 2; cf. S. Th. II-II, q. 79, a. 3.

Contra Rev.mus duodecimus Consultorem vero Relator haec dicit:

- non verum videtur, saltem non ubique terrarum, iuvenes non ferre influxum aliorum illumque non ferre debere;
- obtrectationes etc., aliorum non constituunt dolum qui ad matrimonium contrahendum inducat; non liquet cur ex hoc capite fere nullum matrimonium certe validum esset.

Deinde discussio habetur in qua Consultores iterum affirmant suas sententias et haec addunt:

a. Dolus tertiae personae tunc tantum considerandus est in matrimonii validitatem incidens, quando talis est condicio illius tertiae personae circa sponsos ut reverea coniici possit illam interesse habere ad dolum patrandum, ut puta si sit propinqua vel cognata etc. Prae oculis habeatur quod in multis regionibus Asiae et Africæ parentes magnam partem habent in matrimoniis filiorum, qui acquiescere voluntati parentum solent (Exc.mus tertius decimus Consultor).

b. Doctrina de dolo non videtur satis elaborata a iuristis et iam ex hoc capite timendum est ne nimis augeantur casus nullitatis ex dolo. Si vero etiam dolus tertiae personae incidere poterit in validitatem matrimonii, certo certius illi casus numerari non poterunt (Rev.mus duodecimus Consultor).

c. Introductio huius novi capitnis nullitatis certe difficultates praebet, quae tamen non erunt graviores quam illae ortae ex capite «vis et metus». Iamvero normae de vi et metu hodie in praxim deducuntur fere sine difficultatibus (Rev.mus quintus Consultor).

d. Omnes Consultores admittunt nullitatem ex dolo non esse in poenam decipientis sed ad tutelam pro decepto. Iamvero si talis tutela obtinenda est, nihil refert quod casus nullitatis augeantur (Rev.mus decimus Consultor). Remedia autem ad praecavendos abusus statui debent in iure processuali (Rev.mus octavus Consultor).

e. Dolus inductus a tertia persona, *sciente parte* in cuius favorem dolus inducitur, proponi posset ut dolus *per reticentiam patratus*. Tales causus ergo non venirent in nostram considerationem sub ratione doli inducti a tertia persona. Consultores suffragare debent num dolus tertiae personae, *nesciente parte* in cuius favorem dolus inducitur, incidat in validitatem matrimonii. Novum argumentum pro sententia affirmativa adduci potest ex illis regionibus ubi parentes magnam partem habent in matrimonii filiorum. Si ibi dolus a parentibus patratur, certe talis dolus in validitatem matrimonii incidere debet (Rev.mus Relator).

Post hanc discussionem fit suffragatio primae quaestioneis: «*num dolus qui in valorem matrimonii incidat a tertia persona incuti possit*»:

Placet n. 8; placet iuxta modum n. 2; non placet n. 2; abstinet a sententia ferenda n. 1.

Modi:

1. illa tertia persona determinari debet (ex.gr. parentes, cognati, qui locum parentum tenent...) (Exc.mus tertius decimus Consultor).

2. dicatur «*sciente altera parte* in cuius favorem dolus patratur» (Exc.mus nonus Consultor).

Quaeritur adhuc num expresse in canone dici debeat de dolo a tertia persona patrato.

Omnes Consultores, excepto Rev.mo secondo Consultore, respondent negative.

Dubium II: Num dolus debeat esse incussus ad extorquendum consensum

Consultores in suis votis sequentes responsiones dederunt:

1. Septem Consultores affirmative responderunt (Exc.mi primus et nonus Consultores, et Ill.mi quartus, tertius, septimus, octavus et undecimus Consultores) ob sequentes rationes:

a. ex analogia iuris. Res simili modo ordinetur ac in can. 1087 de metu. In praxi Curiae Romanae si non semper, attamen saepissime postulatur ut metus ab extrinseco patratus sit in ordine ad consensum extorquendum. Opinio contraria quidem apud auctores invenitur; in codice tamen orientali statuitur impedimentum metus non adesse, nisi metus ad extorquendum consensum incussus fuerit (cf. M.p. *Crebrae Allatae*, c. 78) (Exc.mus primus Consultor et Rev.mi tertius et octavus Consultores).

b. secus deficit ratio legis. Solo dolo directo enim iniuria fit parti deceptae (Exc.mus nonus Consultor et Rev.mi septimus et undecimus Consultores). Item per solum dolum directum (a parte inductum) habetur discordantiam voluntatum circa obiectum consensus (Undecimus Consultor). Per dolum indirectum vero libertas non videtur laesa (Rev.mus septimus Consultor).

c. nullitas matrimonii ex dolo est res nova in iure canonico. Oportet ut saltem primo momento extensio huius normae valde restringatur. Ceterum pars decepta obligationes, quibus matrimonio astringitur, facilius fert cum dolus nullo modo ad extorquendum consensum incussus fuerit (Rev.mus octavus Consultor).

Notandum tamen est, dicit Rev.mus septimus Consultor, quod intentio afferentis dolum magis ex factis erui debet; saepe enim dolus indirectus hac in re solum apparenter indirectus est, sed revera est directus, quia circumventio ita ingeniose consummatur, ut deceptus inducatur ad consensum matrimoniale praestandum, etsi pro tertiis dolus appareat indirectus.

2. Quattuor Consultores negative responderunt (Rev.mi secundus, duodecimus, decimus et sextus Consultores), ob sequentes rationes:

a. sufficit ut error dolose causatus causa motiva matrimonii contrahendi sit (Rev.mi secundus et sextus Consultores);

b. dolus influit primo et per se in intellectum, postea vero in ipsam voluntatem (Rev.mus duodecimus Consultor);

c. ratio legis, protectio scilicet seu tutamen decepti stat etiam si dolus non sit incussus ad extorquendum consensum, cum neque factus deceptionis neque eius influxum in consensum pendeat ex fine seu motivo dolum inculcientis (Rev.mi duodecimus, decimus et sextus Consultores);

d. ex analogia cum quaestione metus indirecti. Secundum ius vigens, sicuti iurisprudentia Rotalis probat, etsi a quibusdam mutatio legis desideratur, ad figuram can. 1087, § 1 non requiritur ut metus ad extorquendum consensum incutatur sit (Rev.mus sextus Consultor).

3. Rev.mus quintus Consultor censet solutionem huius dubii cohaere debere cum solutione danda quaestioni de metu indirecto. Unde quaestio differatur ad can. 1087.

Deinde discussio habetur inter Consultores.

Ante omnia examinatur propositio Rev.mi quinti Consultoris ut nempe quaestio differatur ad can. 1087. Post aliquam discussionem fit suffragatio an placeat quaestionem differre:

Placet n. 2; non placet n. 11.

Adunatio II^a
die 11 novembris 1968 – vespere

Consultores prosequuntur discussionem circa quaestionem num dolus debeat esse incussus ad extorquendum consensum.

Exc.mus primus Consultor: Ut error iniustus evadat in ordine ad matrimonium, incuti debet ad extorquendum consensum.

Exc.mus tertius decimus Consultor: Dolus qui *non* incussus sit ad extorquendum consensum nequit adduci ad invalidandum matrimonium. In casu etiam tutela partis decipientis consideranda est.

Exc.mus nonus Consultor: Si dolus indirectus admitteretur, causae nullitatis matrimonii innumerabiles fierent.

Rev.mus secundus Consultor: Dolus, etiamsi non patratus ad extorquendum consensum, dummodo sit circa qualitatem quae nata est ad consortium vitae graviter perturbandum, semper habendus esset causa nullitatis matrimonii. Hoc modo stabilitas matrimonii foveretur.

Rev.mus duodecimus Consultor: Si dolus patratur a tertia persona, requiritur nexus inter dolum et consensum; si patratur ab una parte contra aliam, talis nexus non requiritur.

Rev.mus quartus Consultor: Dolus debet esse causa motiva qua pars inducitur ad matrimonium contrahendum, secus non adest iniustitia.

Rev.mus quintus Consultor illustrat parallelismum huius quaestionis cum quaestione de metu directo et indirecto et optat ut duae quaestiones eandem solutionem habeant.

Rev.mus sextus Consultor: Abstineamus ab inserenda clausula de intentione eliciendi consensum. Propter analogiam cum quaestione de metu, eadem solutio desideratur pro utraque quaestione. Ad verbum quod attinet, non placet dicere «*ad extorquendum consensum*», sed «*ad eliciendum consensum*».

Rev.mus septimus Consultor: Dolus debet esse directe inductus ad eliciendum consensum. Qui negant necessitatem huius nexus appellant ad factum obiectivum deceptionis quod de facto evenit etiam sine intentione decipientis. Sed notandum est non requiri intentionem quae sit expresse elicita a voluntate; sufficit intentio quae aliquomodo inhaeret ipsi actui doloso ut nempe alia pars non absterreatur a matrimonio contrahendo.

Rev.mus octavus Consultor: Si res per se consideretur, nihil refert quod adsit intentio extorquendi consensum. Sufficit ut pars graviter de aliqua qualitate maximi momenti erret, quaelibet sit causa cur dolus peractus sit. Verumtamen restrictio huius novi capituli nullitatis opportuna videtur per clausulam quod dolus patratus sit ad extorquendum consensum. Animadvertisendum tamen est difficulter dolum, de facto ad extorquendum consensum incussum, ut talem iuridice probari posse.

Undecimus Consultor: Dolus incuti debet ad extorquendum consensum, secus initium fit novae viae in qua «simplex error qualitatis causam dans» ut causa nullitatis habetur. Per illum nexum in lucem venit elementum «iniuria» per quam error qualificatur, quaeque ratio formalis est ut matrimonium invalidetur.

Rev.mus Secretarius consentit cum Rev.mo sexto Consultore, aiens verbum «*ad extorquendum consensum*» in casu non esse proprium. Ideo proponit ut, antequam ad suffragationem deveniatur, formula dubii ita corrigitur:

«*Num dolus debeat esse patratus directe ad obtinendum consensum?*»

Consultores concordant cum Rev.mo Secretario et deinde fit suffragatio:

Placet n. 8; non placet n. 3; placet iuxta modum n. 1; abstinet a sententia ferenda n. 1.

Modus:

«*dummodo in formula dubii omittatur verbum directe*» (Rev.mus duodecimus Consultor).

Dubium III: *Num dolum commitens accusare matrimonii nullitatem valeat*

Circa hoc dubium ante omnia consideratur propositio Rev.mi sexti Consultoris ut quaestio remittatur ad Coetum *De processibus*, quia norma statuenda non est iuris matrimonialis materialis, sed est iuris processualis.

Undecimus Consultor censet quod etiam in nostro Coetu res dirimi potest, quia non agitur de norma mere processuali, sed de statuendo iure ad actionem quae pertinet ad ius substantiale.

Sed alii Consultores communiter censem competentiam circa hanc normam pertinere ad Coetum de processibus.

Rev.mus Secretarius dicit consulto Secretariam proposuisse hoc dubium Consultoribus huius coetus, etsi clarum apparere posset de competentia alterius coetus. Ratio est quia bene est agnoscere mentem Consultorum, qui profunde examinaverunt quaestionem de nullitate matrimonii ex dolo, circa specialem hanc quaestionem accusationis huius nullitatis. Suspicari enim potest Consultores coetus de processibus mitigaturos esse can. 1971 § 1, n. 1 et quaestio ponitur num illa norma mitior, si qua redigatur, applicanda sit casui quoque accusationis nullitatis ex dolo.

Quapropter rogantur Consultores huius Coetus ut mentem suam dicant num dolum committens accusare matrimonii nullitatem valeat.

Omnes Consultores dolum committentem habendum esse inhabilem ad matrimonium accusandum censem.

Tantum Rev.mi quintus et septimus Consultores ponunt aliquam exceptionem, id est:

- cum dolus a tertia persona patratur, sciente tamen parte in cuius favorem dolus patratur, si talis pars non ut complex se gerit sed tantum reticit, ipsa habilis sit ad accusandum matrimonium (Rev.mus quintus Consultor);

- si partem poenitet se dolum patrasse, aequum videretur possibilitatem illi tribuere accusandi matrimonium ad bonum ambarum partium (Rev.mus septimus Consultor).

Consultores censem ipsorum mentem aliquomodo communicanda esse cum Consultoribus Coetus de processibus, saltem illos monendo ut *sedulo* perpendant num dolum committenti facultas sit accusandi matrimonii nullitatem.

Rev.mus Secretarius proponit ut mens huius coetus his verbis transmittatur ad coetum de processibus: « Casus erroris dolosi quoad ius accusandi matrimonium ex parte coniugis specialem meretur considerationem ».

Consultores concordant cum Rev.mo Secretario.

Adunatio III^a
die 12 novembris 1968 – mane

De IV^o dubio (num omnibus mature perpensis, effectus erroris dolosi in matrimonii validitatem in Codicem recipi debeat) ultimo loco sermo erit, uti initio dictum est.

Dubium V: Num praeter dolum circa qualitatem personae, etiam dolus circa essentialem matrimonii proprietatem consensum invalidum reddere debeat

Dubium hoc propositum est a Exc.mo primo Consultore et Rev.mo octavo Consultore, qui positive respondent.

Rev.mus octavus Consultor admittit talem normam forte superfluam esse, quia in casu matrimonium generatim iam ex iure naturali dirimitur ex capite simulationis: praesumptio enim praevalens contrahendi secundum voluntatem Legislatoris Divini non videtur admittenda. Attamen, ad tollendum omne dubium practicum, norma canonica de hoc puncto, in statu hodierno doctrinae, adhuc opportuna videtur.

Alii Consultores generatim censem merito de hoc dubio quaestionem fieri posse, sed eius proprium locum dari occasione recognitionis can. 1084.

Omnibus placet ut quaestio tractetur quando de can. 1084 agetur.

Dubium VI: Num statui debeat dolum tunc tantum irritare consensum, si det causam contractui

Propositioni huius dubii occasionem dedit Exc.mus primus Consultor, qui in suo voto formulam proposuit per quam declaratur esse invalidum «matrimonium, in quo obeundo error obvenit.... si error dolo gravi... causetur».

Exc.mo primo Consultori enim non placent formulae nexum causalitatis inter errorem et consensum praebentes. Per tales formulas invaliditas matrimonii fundatur in voluntate interpretativa partis deceptae. Quando enim quis matrimonium accusat per retrospectionem dicit: si scivissem non contraxissem, et ex nunc (scilicet ex actuali conditione animi) fertur iudicium ad tunc (non contraxissem).

E contra, dicit Exc.mus primus Consultor, res quae nullitatem matrimonii parit, tempore contrahendi matrimonii actu (non solum interpretative) adesse debet et est factum deceptionis dolose patratae et inde consequens error partis deceptae.

Exc.mus tredecimus Consultor censem immerito quaestionem ponit posse ut fecit Exc.mus primus Consultor. Si enim res bene inspiciatur, patet non ex actuali sui animi motu partem dicere: si scivissem non contraxissem. De facto vero pars consensum dedit quia nescivit et nunc detigit se dolum passam esse.

Exc.mus nonus Consultor consentit cum Exc.mo primo Consultore et

argumentum ita evolvit: in matrimonio ex dolo contracto fere numquam fit connexio causalis inter dolum interque consensum partis deceptae. Ponatur casus: Sempronia contraxit cum Caio et quidem *libere et ex amore*. Sempronia post mensem animadvertisit Caium morbo homosexualitatis laborare et dicit: matrimonium meum est invalidum quia, si scivissem Caium hoc morbo laborare, matrimonium cum illo non contraxissem. Ubi, quaerit Exc.mus nonus Consultor, est hic conexio inter dolum patratum et consensum a Sempronia praestitum? Nulla est conexio. Nam matrimonium fit illo consensu, qui, dum contrahitur, *actualiter* ponitur, non vero consensu praesumptivae vel interpretativae voluntatis quem Sempronia, si nosset homosexualitatem Caui, non dedisset. Id enim quod quis ex voluntate interpretativa fecisset nullum habet iuridicum valorem. Talis voluntas non potest retrotrahi ad initium matrimonii. Hoc modo sterneretur via subjectivismo et omnia fere matrimonia (ex voluntate interpretativa) solvi possent.

Rev.mus duodecimus Consultor haec asserit: Cum Coetum admiserit quod dolus debet esse patratus directe ab obtinendum consensum, nunc consequentia videtur clara, quod scilicet dolus tunc tantum irritat consensum cum det causam contractui.

Sed Exc.mus primus Consultor contra Rev.mum duodecimum Consultorem, negat talem consequentiam. Quando enim dicimus quod dolus patratus sit directe ab obtinendum consensum, sumus adhuc in ambitu voluntatis decipientis et nihil dicimus de voluntate decepti, qui per se posset dare consensum etiam si sciret talem vel talem qualitatem non adesse.

Rev.mus quartus Consultor consentit cum Rev.mo duodecimo Consultore.

Rev.mus decimus Consultor est pro sententia affirmativa, quod scilicet dolus tunc tantum irritet consensum, cum det causam contractui. Nisi id requireretur, tunc error inductus nullitatem causaret praeter voluntatem partis deceptae, quae, per se, posset consensum dare, neglecta qualitate circa quam dolus inducitur.

Rev.mus quintus Consultor asserit hic agi de voluntate praesumptiva potius quam de voluntate interpretativa. Novum caput nullitatis ex dolo statuitur lege positiva ad tuendam iustitiam in favorem partis deceptae. Iamvero Legislator non quaerit quid de facto, in casu particulari, pars fecisset si scivisset, sed praesumit quod consensum non praebuisse, ut ordinarie, in iisdem casibus, contingere solet. In casu nullitatis, ex vi vel metu in lege nullibi assertur expresse vim vel metum tunc tantum irritare matrimonium cum dent causam contractui. Praesumitur relatio inter vim vel metum et consensum et ex hac praesumptione matrimonium declaratur nullum.

Item, in casu doli, non statui debet dolum tunc tantum irritare consensum si det causam contractui.

Rev.mus septimus Consultor est pro sententia affirmativa. Nexus causalitatis tamen non exprimi debet per verba quae aliquomodo sonant et significant voluntatem interpretativam, ut puta in prima formula Rev.mi sexti Consultoris: «...*quod re vera cognita non contraheret*».

Rev.mus sextus Consultor: necesse est ut dolus irritet consensum tantum si det causam contractui, secus causae nullitatis matrimonialis nimis multiplicabuntur. Immerito argumenta de voluntate interpretativa opponuntur, quia consensus fuit nullus non ex dolo «interpretato», sed ex eo dolo vero.

Alia est quaestio probationis quod ille dolus fuit causa movens, sed talis quaestio non pertinet ad hunc Coetum.

Rev.mus octavus Consultor: necessarius est ille nexus causalitatis, ut matrimonium nullum sit. Causa nullitatis repetitur ex dolo realiter existenti et non ex voluntate interpretativa.

Undecimus Consultor: Exc.mus primus Consultor locutus est de aliquo processu retrospectivo quem facit pars decepta ad asserendum quod si scivisset non contraxisset. Sed talis processus est proprius conditionis humanae et talis est etiam in casus simplicis erroris. In errore doloso tamen pars decipiens scit de errore alterius partis et scit illius consensus vitiatum esse. Contra talem factum causam dantem consensui, Legislator providere vult statuendo nullitatem.

Ad formulam quod attinet, undecimus Consultor censem talem nexum iam sufficienter contineri in novo canone 1083 bis. Quod si canon adhuc perfici debet, ne dicatur «*dolus causam dans consensui*», quia et aliae causae concurrunt ad consensum efformandum.

Relator, post hanc discussionem, notat argumenta extare sive pro una sive pro alia sententia, tamen si sententia Exc.mi primi Consultoris (et aliorum) acceptetur, caput nullitatis iam non esset ex defectu consensus sed ex impedimento. Ergo tandem aliquando quaestio quae ponitur solvenda generalior est, num scilicet in casu ineunda sit via nullitatis ex defectu consensus aut ex impedimento.

Tamen si via ex defectu consensus eligatur, de dolo scilicet consensui causam dante, non placet talem nexus expresse in canone exigere, quia probatio talis nexus saepe fundatur in praesumptione, ex communiter contingentibus.

Suffragatur placeatne retinere can. 1083 bis quoad subiectam materiam de qua in dubio VI:

Placet n. 6; non placet n. 5; abstinent a sententia ferenda n. 2.

Adunatio IV^a
die 12 novembris 1968 – vespere

Dubium VII: *Num exprimi debeat dolum gravem esse debere*

Enuntiatio huius dubii colligitur ex votis Exc.mi primi Consultoris, et Rev.morum septimi et octavi Consultorum, quapropter Relator ipsum proponit Consultoribus ut discussio fiat.

Sed Rev.mus Secretarius meminit quod de hac quaestione sufficienter actum est in Sessione praecedenti.

Quoniam autem Rev.mi septimus et undecimus Consultores instant ut de re mens Consultorum per suffragationem constet, sequens dubium suffragatur:

An in subiecta materia placeat retinere can. 1083 bis:
Placet n. 10; non placet n. 3.

Dubium VIII: *Num dolus in re subiective tantum gravi consensum invalidum reddere debeat*

Rev.mus septimus Consultor, qui fuit auctor huius dubii, renuntiat sua propositioni, quia sufficienter responsum fuit sive in praecedenti sive in praesenti sessione.

Dubium IX: *Num pars dolum passa amittere debeat ius accusandi matrimonii nullitatem post annum utilem*

Exc.mus nonus Consultor, qui fuit auctor huius dubii, dicit quaestio nem transmittendam esse Coetui *De Processibus*.

Sed Rev.mus quintus Consultor proponit ut quaestio consideretur in cap. de convalidatione matrimonii.

Propositio Rev.mi quinti Consultoris omnibus placet.

Deinde duae quaestiones resumuntur quae in Sessione praecedenti longe lateque examinatae sunt:

1. Utrum in canone species doli taxative numerari debeat statuendo scilicet, ad instar catalogi, qualitatis errores consensum invalidantes, an potius canon continere debeat tantum generalem clausulam irritantem.

2. Utrum qualitas, de qua fit deceptio, referenda sit ad matrimonium in fieri, an ad matrimonium in facto esse.

De prima quaestione Rev.mus Relator notat quod in Sessione preecedenti longe maior pars Consultorum praetulit formulam genericam, quin tamen suffragatio formalis de hac re facta fuerit.

Ad rem melius definiendam suffragantur haec duo:

1. Placeatne formula generica: omnibus placet.

2. Placeatne confidere canonem in quo afferantur exempla qualitatum circa quas dolus patratur: placet n. 1; non placet n. 11; abstinet a sententia ferenda n. 1.

De altera quaestione fit adhuc aliqua discussio.

Exc.mus tredecimus Consultor: Qualitas de qua fit deceptio referenda est ad matrimonium in fieri. Ideo in canone dicitur «...*dolus... circa aliquam alterius partis qualitatem, quae nata est ad matrimonium evitandum...*».

Ratio est quia «*qualitas quae nata est ad matrimonium evitandum*» includit etiam qualitatem «*quae nata est ad consortium vitae perturbandum*» et non vice versa.

Praeterea si formula referatur ad matrimonium in fieri, includit etiam aliquos casus doli qui secus non comprehendenterunt, ut puta si mulier fingat se esse praegnantem ex viro quem ducere vult, ut talem virum ad matrimonium inducat.

Exc.mus primus Consultor censet vim canonis eandem esse sive qualitas referatur ad matrimonium in fieri, sive referatur ad matrimonium in facto esse.

Exc.mus nonus Consultor: Si requiritur nexus causalis inter dolum et consensum partis deceptae, talis nexus magis adesse videtur si matrimonium in fieri seu ipse contractus matrimonialis consideretur, a quo stipulando istae qualitates a priori absterre solent. Ut tamen ambitus doli aliquo modo restringatur, melius esset qualitates referre sive ad matrimonium in fieri, sive ad matrimonium in facto esse.

Rev.mus secundus Consultor consentit cum Exc.mo tredecimo Consultore, quia «*qualitas quae nata est ad matrimonium evitandum*» videtur attingere pauciores casus quam «*qualitas quae nata sit ad consortium vitae graviter perturbandum*». Qualitas enim ad consortium vitae relata videtur comprehendere etiam indolum dissensiones, quae nimias occasiones invocandi nullitatem matrimonii darent.

Rev.mus quartus Consultor consentit cum Exc.mo tredecimo Consultore.

Rev.mus quintus Consultor: Verbum « *qualitas* » includit sive qualitates stricto sensu, sive carentia qualitatum, sive facta manifestativa alicuius qualitatis. Ergo etiam casus ab Exc.mo tredecimo Consultore memorati (casus mulieris quae praegnans se fingit) comprehenduntur sub verbo « *qualitas* », sive qualitas referatur ad matrimonium in fieri, sive ad matrimonium in facto esse. Ad claritatem tamen dici posset « ...*qualitas quae nata est ad matrimonium vitandum et ad consortium vitae graviter perturbandum* ».

Rev.mus decimus Consultor: Dicatur « ...*qualitas quae nata est ad consortium vitae graviter perturbandum et solet absterrere a matrimonio contrahendo* ». Hoc modo omnes casus comprehenduntur.

Rev.mus sextus Consultor contra Rev.mum secundum Consultorem asserit qualitatem ad consortium vitae relatam pauciores casus comprehendere quam « *qualitas quae nata est ad matrimonium vitandum* ». Qualitates enim, cuius carentia consortium perturbat, graviores certo sunt quam qualitates quae solent absterrere a matrimonio. Placeret qualitatem referre sive ad matrimonium in fieri sive in facto esse, nisi formula nimis implicaretur.

Rev.mus septimus Consultor consentit cum Exc.mo tredecimo Consultore.

Rev.mus octavus Consultor censet melius esse qualitatem referre ad matrimonium in fieri, quia hoc modo facilius considerari poterunt elementa subiectiva quae asterrent *ab hoc determinato matrimonio*.

Undecimus Consultor: In redigendo canone 1083 bis merito solliciti fuimus ut dolus consideraretur sub aspectu obiectivo quoque, ita ut restringeretur ad casus qui arcte nectuntur cum essentia matrimonii, ideoque gravitatem deceptionis repetivimus ex qualitate quae nata sit ad consortium vitae graviter perturbandum.

Si nunc acceptetur propositio Exc.mi tredecimi Consultoris fit redditus ad subiectivismum, per quem gravitas deceptionis non repetitur unice ex qualitate arcte nexa cum essentia matrimonii, sed ex aliis quoque qualitatibus ut puta paupertate, pulchritudine, censu, etc...

Fit suffragatio: Num in subiecta materia placeat retinere formulam can. 1083 bis:

Placet n. 8; non placet n. 4.

Discussione omnium dubiorum peracta, committitur Consultoribus duodecimo, quinto, sexto, undecimo et Rev.mo Relatore ut formulam can. 1083 bis recognoscant, ad sensum eorum quae per suffragia in hac discussione statuta sunt.

Adunatio V^a
die 13 novembris 1968 – vespere

Parvus Coetus (Consultores duodecimus, quintus, sextus, undecimus et Rev.mus Relator) praebet aliis Consultoribus formulam recognitam can. 1083 bis.

« *Qui matrimonium init deceptus dolo, ad obtinendum consensum patrato, etiam per reticentiam, circa aliquam alterius partis qualitatem, quae nata est ad consortium vitae coniugalis graviter perturbandum, invalide contrahit* ».

N.B. Coetus votum exprimit ut omittantur verba « *etiam per reticentiam* », quia:

- a. sine illis verbis substantia canonis salvatur omnino;
- b. canon de dolo facilius accipietur;
- c. per suppressionem illorum verborum formulatio canonis evadit clarior ac simplicior.

Votum parvi Coetus ut omittantur verba « *etiam per reticentiam* » ab omnibus Consultoribus accipitur.

Deinde sequentes suggestiones circa formulam canonis proferuntur:

– Quaedam verba formulae, ex. gr. « *qualitas* », accipiuntur sensu lato; alia autem verba, ex. gr. « *nata est* », accipiuntur sensu stricto. Melius esset si formula constans et sibi cohaerens esset quoad extensionem verborum (Exc.mus primus Consultor).

– Ex formula non clare appareat nexus causalitatis inter dolum et consensum partis deceptae. Iamvero talis nexus necessario requiritur (Exc.mus tertius decimus Consultor et Rev.mus sextus Consultor).

– Formula non est omnino perfecta, sed fatendum est Coetum nostrum omnia expertum esse ad meliorem formulam habendam. Proprium erit doctrinae et iurisprudentiae vim formulae plene definire (Rev.mus secundus Consultor).

– Dicatur « *ad consortium vitae evertendum* » loco « *perturbandum* ». Ratio est quia in felicissimo quoque matrimonio post amoenos annos habebitur perturbatio quandoque gravis. In quolibet matrimonio postea deteguntur qualitates minus desiderabiles quae ad tempestates perducere possunt. Sed vita christiana sine sacrificio concipi nequit. Sunt casus in quibus coniux principiis christianis imbutus alterius coniugis peccatum commissum libenter dimittere paratus est, et non obstantibus defectibus, etsi maioris momenti, cum illo vitam coniugalem ducere vult. Si ergo matrimonium ab Ecclesia ipso facto invali-

dum declaratur ob qualitates quae ad *gravem perturbationem* consortii perdunt, non esset locum condonationi christiana et emendatione peccati. Melius esset ergo restringere; illae nempe tantum qualitates in considerationem veniant quae inducunt ad consortium *evertendum* (Exc.mus nonus Consultor et Rev.mus decimus Consultor).

Circa has rationes indolis pastoralis Rev.mus quintus Consultor animadvertisit quod iudices sunt et ipsi de bono pastorali solliciti et certe discernere debent varios casus, ita ut illa tantum matrimonia nulla esse declarant in quibus vita iniuste intolerabilis evadat.

– dicatur «...*quae nata est ex communi aestimatione...*» (Exc.mus nonus Consultor et Rev.mus octavus Consultor).

– dicatur «...*gravi dolo... circa aliquem factum personale*» (Rev.mus octavus Consultor).

– dicatur «...*circa aliquam circumstantiam personalem*» (Exc.mus tredecimus Consultor).

Rev.mus Relator suggestiones Consultorum recenset et dicit illas versari circa haec:

1. «*factum personale*» vel «*circumstantiam personalem*» loco «*qualitatem*»;

2. «*quae nata est ex communi hominum aestimatione...*»;

3. «*evertendum*» loco «*perturbandum*»;

4. de nexu causalitatis inter dolum et consensum;

5. de gravitate doli.

Fit suffragatio quoad singulas quaestiones:

1. Placeatne «*factum personale*» vel «*circumstantiam personalem*»:
Nemini placet.

2. Utrum placeat «*quae nata est ex communi hominum aestimatione...*»
necne:

Placet n. 5; non placet n. 6.

3. Placeatne «*evertendum*» loco «*graviter perturbandum*»:
Placet n. 3; non placet n. 8.

4. Suffragatio de indicando nexu causalitatis inter dolum et consensum habetur per has formulas:

– « *Qui deceptus dolo, ad. obtainendum consensum patrato circa aliquam alterius partis qualitatem, quae nata est ad. consortium vitae graviter perturbandum, matrimonium init quod, re vere cognita, contractum non esset, invalide contrahit* » (Rev.mus sextus Consultor):

Placet n. 5; non placet n. 6.

– « *Qui matrimonium init quia deceptus est dolo, ad. obtainendum consensum patrato...* » (Rev.mus quintus Consultor):

Placet n. 3; non placet n. 8.

5. Utrum placeat « *gravi dolo* » necne:

Placet n. 2; non placet n. 9.

Formula ergo can. 1083 bis sequens erit:

« *Qui matrimonium init deceptus dolo, ad obtainendum consensum patrato, circa aliquam alterius partis qualitatem, quae nata est ad. consortium vitae coniugalnis graviter perturbandum invalide contrahit* ».

Suffragatur formula: Placet 8; non placet 3.

Ultima fit suffragatio de dubio IVº « *Num omnibus mature perpensis, effectus erroris dolosi in matrimonii validitatem in Codice recipe debeat* ».

Placet omnibus.

Adunatio VI^a
die 14 novembris 1968 – mane

Can. 1084

Ante omnia leguntur quae in Sessione praecedenti de recognitione can. 1084 dicta sunt.

In illa Sessione aliqualis concordia Consultorum manifestata est circa formulam propositam a Rev.mo Relatore. « *Opinio erronea de unitate vel indissolubilitate matrimonii non ex sese excludit consensum matrimoniale* ».

Consultores prosequuntur discussionem circa canonem 1084:

Exc.mus primus Consultor: Difficultas quam praebent verba « *simplex error* » non solvit per verba « *opinio erronea* ». Canon redigi debet per verba quae expresse excludant influxum illius erroris in voluntatem. Formula sequens adhiberi posset: « *Error circa matrimonii unitatem...non vitiat consensum matrimoniale, dummodo sit simplex error mentis nec inficiat ipsam voluntatem* ».

Exc.mus tertius decimus Consultor proponit ut adhibeatur formula Rev.mi Relatoris, dummodo dicatur «*simplex error*» loco «*opinio erronea*».

Exc.mus nonus Consultor insistit in sua opinione quod nempe plures sectae pro protestantes tenent matrimonium esse dissolubile quare praxis Ecclesiae de valore matrimonii acatholicorum mutare deberet. Si ita fieret, iam principalis ratio sustinendi can. 1084 CIC evanesceret et plane verba «*etsi det causam contractui*» in contrarium mutari possent, id est «*nisi det causam contractui*».

Rev.mus secundus Consultor: Certum est locutionem «*etsi det causam contractui*» haud felicem esse; nam nimium significat.

Imprimis nunc pacifica est iurisprudentia S.R. Rotae considerandi *occasione* quam habent illi, qui erronee opinantur de matrimonii rescindibilitate, ut talis error ingrediatur in intentionem seu in voluntatem.

Deinde etiam praesumptio classica — qua statuitur homines velle matrimonium contrahere prout a Deo institutum — intra limites rationabiles reducenda est, visis conditionibus nostrorum temporum et conferri debet cum aliis praesumptionibus facti desumptis ex forma mentis, ex educatione, ex amoralismo aliisque huiusmodi.

Quare omittenda sunt verba «*etsi det causam contractui*».

Ideoque placet formula Rev.mi Relatoris, dummodo dicatur «*simplex error*» loco «*opinio erronea*».

Rev.mus duodecimus Consultor, contra Exc.mum nonum Consultorem, memorat proxim Ecclesiae quae praesumit apud omnes populos extra saltem ideam naturalem habendi matrimonia stabilia ideoque indissolubilia. A fortiori talis praxis viget circa matrimonia acatholicorum.

Ideoque Rev.mus duodecimus Consultor petit ut can. 1084 quoad substantiam retineatur.

Rev.mus quartus Consultor censem can. 1084 CIC retinere posse si dicatur «*opinio erronea*» loco «*simplex error*». Nam verba «*opinio erronea*» magis exprimunt realem conditionem hominum circa proprietates matrimoni.

Rev.mi quintus et septimus Consultores: Antequam de formula disputetur, oportet decernere utrum retinendus sit can. 1084 quoad substantiam, an nova disciplina introducenda sit secundum propositionem Exc.mi noni Consultoris.

Rev.mus decimus Consultor: Substantia can. 1084 placet, tamen attendenda quoque est suggestio Exc.mi noni Consultoris circa matrimonia acatholicorum. Ideoque proponit ut in una § edicatur errorem substantialem invalidare matrimonium; in altera § edicatur errorem simpli-

cem, etsi det causam contractui, non necessario consensum matrimonialem excludere.

Rev.mus sextus Consultor asserit verba «*etsi det causam contractui*» non esse recta, sed manet anceps circa duas possibles solutiones, num scilicet illa verba sint simpliciter delenda aut sint expresse in contrarium mutanda «*nisi det causam contractui*».

Quoad verba «*simplex error*» Rev.mus sextus Consultor censem non sufficere loco illorum verborum ponere verba «*opinio erronea*», sed clare exprimendum esse quid sit error simplex. Simplex error habet duo opposita, quorum usque adhuc fere unum prae oculis habitum est, scilicet error qui influit in voluntatem. Haec duo opposita sunt: error qui manet in campo intellectivo et error qui transit in sphaeram volitivam.

Sed habet simplex error alterum praeterea oppositum, scilicet errorem substantialem. Qui non habet scientiam quae requiritur a can. 1082, § 1, non habet errorem simplicem, etsi ille error non transit in sphaeram voluntatis.

Haec duo opposita — distinguendo clare ab errore simplici — in canonе apertis verbis exprimantur. Sequens formula adhiberi posset: «*Error circa matrimonii unitatem vel indissolubilitatem aut sacramentalem dignitatem, dummodo sit simplex error, i.e., nec adaequetur defectui cognitionis in can. 1082, §1 requisitae nec inficiat ipsam voluntatem, non vitiat consensum matrimonialem (nisi det causam contractui)*».

Rev.mus octavus Consultor censem canonem 1084 CIC retinere posse. Tantum dicatur «*non necessario*» loco «*non ex sese*».

Undecimus Consultor censem sensum can. 1084 CIC minime quoad substantiam immutandum esse. Neque admittit distinctionem quam faciunt Rev.mi sextus et decimus Consultores de errore substantiali et de errore qui influit in voluntatem tamquam duo opposita errori simplici. Talis distinctio enim non videtur recta, quia etiam error qui dicitur substantialis potest manere in sphaera intellectiva (et est error simplex) et potest transire in sphaeram voluntatis. Undecimus Consultor praeterea petit ut omittantur verba «*aut sacramentalem dignitatem*» et «*etsi det causam contractui*».

Post hanc discussionem fiunt duae suffragiones ad quaestionem presius definiendam:

a. Placeatne retinere sensum quem nunc habet can. 184 secundum communem interpretationem:

Placet n. 10; non placet n. 2; abstinet a sententia ferenda n. 1.

b. Num placeat formula Rev.mi Relatoris ut basis discussionis ad novam formulam redigendam (Opinio erronea de unitate vel indissolubilitate matrimonii non ex sese excludit consensum matrimoniale).

N.B. In formula Rev.mi Relatoris omissa sunt verba «*aut sacramentalm dignitatem*» et «*etsi det causam contractui*».

Placet n. 10; non placet n. 2; abstinet a sententia ferenda n. 1.

Adunatio VII^a
die 14 novembris 1968 – vespere

Agitur de redactione can. 1084 cuius formula a Rev.mo Relatore proposita sumitur ut basis discussionis.

Prima quaestio fit de verbis «*opinio erronea*».

Rev.mus quintus Consultor animadvertisit locutiones «*error*» et «*opinio erronea*» idem significare. Ergo, indifferenter sumi posset una vel alia locutio. Sed quaestio est num sive «*error*» sive «*opinio erronea*» qualificari debeat per verbum «*simplex*». Iamvero ex discussione appetit verbum «*simplex*» quamdam ambiguitatem gignere, quia secundum aliquos «*simplex error*» opponitur errori qui in voluntatem influit, secundum alios vero opponitur et errori qui in voluntatem influit et errori substantiali. Ad talem ambiguitatem auferendam, melius esset canonem ita redigere: «*Salvo praescripto can. 1082, § 1, 1086, 1092, simplex error circa, etc...*».

Rev.mus sextus Consultor proponit: «*Error nec substantialis nec inficiens voluntatem circa etc...*».

Undecimus Consultor mavult «*opinio erronea*», quia, ait ipse, «*error*» dicit opinionem erroneam quae iam influit in voluntatem.

Exc.mus nonus Consultor proponit ut substituatur verbum *simplex* per aliam locutionem clariorem, e.gr.: «*error qui, etc...*».

Suffragatur propositio Exc.mi noni Consultoris quae omnibus placet.

Rev.mus Secretarius proponit: «*Error circa matrimonii unitatem vel indissolubilitatem, dummodo non afficiat voluntatem, non vitiat consensum matrimoniale*».

Placet n. 8; non placet n. 4.

Rev.mus Secretarius quaerit num aliae determinationes in canone inserendae sint:

a. Rev.mus Relator et Rev.mus sextus Consultor proponunt: «...*dummodo nec substantialis sit nec afficiat voluntatem...*».

Placet n. 4; non placet n. 8.

b. Rev.mus quintus Consultor proponit: «*Salvo praescripto can. 1082, § 1, 1086, 1092 error circa matrimonii unitatem etc...»:*

Placet n. 4; non placet n. 7: abstinet a sententia ferenda n. 1.

His duobus emendationibus per suffragium reiectis, Rev.mus Secretarius adhuc proponit Consultoribus ut definitive suffragium dent de hac formula canonis 1084:

«*Error circa matrimonii unitatem vel indissolubilitatem dummodo non afficiat voluntatem, non vitiat consensum matrimoniale».*

Placet n. 8; non placet n. 4.

Adunatio VIII^a
die 15 novembris 1968 – mane

Can. 1086, § 1

Exc.mus primus Consultor proponit formulam quae magis sapit curam pastoralem, quaque, dicit ipse, affirmatur praesumptio conformitatis interni animi consensus verbis vel signis non quasi ex imperio Ecclesiae sed ex sollicitudine materna ipsius Ecclesiae:

«*Ecclesia non potest non praesumere matrimonium celebrantes recta intentione, non ficte et simulate nuptias pacisci, praesertim post praeparationem praematrimoniale ad normam legis accuratissime peractam, super qua conscientia pastoris animarum graviter oneratur».*

Omnis Consultores unanimiter dicunt in his canonibus de consensu necessariis esse formulas stricte iuridicas; agitur enim de normis validitatem matrimonii respicientibus. Ceterum quaeque disciplina sua propria ratione et via curae pastorali deservire debet; iamvero ratio propria legum est ut sint iuridicae.

Fit suffragatio placeatne retinere § 1 can. 1086 prout in CIC:

Placet n. 7; placet iuxta modum n. 5.

Primus modus: dicatur «*internus nupturientium consensus*» loco «*internus animi consensus*»:

Placet n. 6; non placet n. 7.

Secundus modus: supprimatur verbum «*semper*»

Placet n. 3; non placet n. 9.

Ergo § 1 manet prout est in CIC.

Can. 1086, § 2

Exc.mus nonus Consultor proponit ut canon de simulatione totali et partiali e novo Codice penitus expungatur, quia valde dedecet sacramentum matrimonii talibus machinationibus culpabiliter foedare. Ceterum partes tamquam causae culpabiles et dolosae maximas plerumque difficultates imponunt et ipsis tribunalibus ecclesiasticis. Si partes serio iustaque praeparatione ad matrimonium contrahendum accedunt, non erit necessarium de reservatione providere. Ceterum, experientia teste, sicuti ex iurisprudentia eruitur, partes saepe *naturali modo* contrahunt matrimonium. Et quando postea qualibet ex causa illud infelix evaserit et partes civiliter ab invicem discedunt, *ipso advocati et patroni* recurrere solent ad hunc canonem tamquam ad ultimum effugium, nempe ad reservationem ut ipsis infelibus coniugibus tandem aliquando succurrant.

Etiam Rev.mus duodecimus Consultor proponit suppressionem huius canonis qui respicit actus internos, actus nempe non stricte iuridicos qui maximas difficultates praebent in ordine ad probationem. Sententiae nullitatis ex can. 1096, § 2 scandala saepe excitaverunt. Ceterum considerare oportet, dicit Rev.mus duodecimus Consultor, extensionem novi canonis de dolo, per quem, certo certius, pluribus casibus providebitur quibus nunc, iure vigenti, providetur per canonem 1086, § 2.

Ceteri Consultores censem canonem retinendum esse quia fundatur in iure naturae. Quod si abusus per hunc canonem perpetrati sunt, id induce re non potest ad canonem suppressendum sed ad remedia ordinis processualis inveniendos ne abusus permaneant.

Rev.mus Secretarius concordat circa inopportunitatem suppressendi hunc canonem et invocat experientiam negativam quam habuerunt Orientales per suppressionem canonis de matrimonio sub condicione (M.p. *Crebrae allatae*, can. 83).

Em.mus Praeses animadvertisit ius in iure naturae fundatum supprimi non posse. Ad scandala quod attinet (de quibus locutus est Rev.mus duodecimus Consultor), dicendum est quod saepe de scandalo pusillorum agitur.

Adunatio IX^a
die 15 novembris 1968 – vespere

Consultores prosequuntur discussionem circa can. 1086, § 2.

Exc.mus primus Consultor proponit ut canon compleatur per aliquam particulam *de iure ad modum naturalem actus coniugalis*, ac mentem Papae

Pii XII qui ait: « *Quando perciò questa prestazione nella sua forma naturale è dall'inizio e durevolmente impossibile, l'oggetto del contratto matrimoniale si trova affetto da un vizio essenziale* ». Praeterea, dicit Exc.mus primus Consultor, post Encyclicam *Humanae vitae*, talis definitio iam praetermitti non potest.

Propositio Exc.mi primi Consultoris nemini placet, quia « *ius ad coniugalem actum* » sibi vult ius ad actum modo naturali positum.

Alia quaestio fit de verbis « *omne ius ad coniugalem actum* ».

Exc.mus tertius decimus Consultor proponit suppressionem verbi « *omne* ». Hoc verbum enim inutile esse videtur et, hoc in contextu, an-sam praebere potest falsae interpretationi huius partis canonis, ac si tan-tum *plena et perpetua exclusio iuris ad actum coniugalem invalidaret matrimonium*, quod non est verum: nam matrimonium esset invali-dum etiamsi partim vel ad tempus ius ad actum coniugalem excluderetur.

Rev.mus sextus Consultor concordat cum Exc.mo tredecimo Consulto-re circa suppressionem verbi « *omne* » et proponit ut dicatur vel « *ius ad ac-tum coniugalem* » vel « *obligationem reddendi parti rationabiliter petenti* ».

Rev.mus quintus Consultor quaerit an adhuc sustineri possit locutio « *omne ius* », postquam in documentis Concilii Vatican II et in Encyclica *Humanae vitae* firmata sit doctrina de paternitate responsabili.

Rev.mus Secretarius concordat cum Rev.mo quinto Consultore circa mo-mentum doctrinae de paternitate responsabili relate ad redactionem huius canonis. Ideo proponit ut recognitio huius canonis remittatur ad aliam Sessionem ita ut Consultores interim recogitare possint de redac-tione huius canonis in contextu doctrinae Concilii Vatican II et Encyclicae *Humanae vitae*. Praeterea opportunum est ut Consultores dicant quid sen-tiant de distinctione inter ius et usum iuris in nostro canone circa coniuga-lem actum.

Consultores unanimiter concordant cum Rev.mo Secretario circa ne-cessitatem profundioris studii huius materiae, tamen iam aliquas opiniones ad modum explorationis quaestionum inter se communicant.

De distinctione inter ius et usum iuris

Exc.mi primus et tredecimus Consultores dicunt talem distinctionem rectam esse ideoque sane retinendam esse. Nisi haec distinctio habeatur non videtur quomodo stare possint doctrina et praxis paternitatis responsa-bilis et continentiae periodicae.

Rev.mus decimus Consultor quoque talem distinctionem admittit, quia secus possilitas matrimonii virginalis caderet.

Etiam Rev.mus octavus Consultor dicit distinctionem inter ius et usum juris retinendum esse. Per consensum habetur relatio iuridica in ordine ad actus matrimoniales, ius nempe radicale quod non perimitur per continentiam periodicam.

Exc.mus nonus Consultor et Rev.mi duodecimus et quartus Consultores censem talem distinctionem sustineri non posse. Quando sermo est de continentia periodica, dicit Rev.mus duodecimus Consultor, sumus in campo moralitatis et exinde non sunt trahendae sequelae in campo iuridico quod nempe consensus invalidetur per exclusionem iuris ad coniugalem actum.

Rev.mus sextus Consultor dicit distinctionem retinendam esse, etsi forsitan non in textu legis sed in iurisprudentia. Tripartitio autem a quibusdam propagata (scil. usus iuris, ius ipsum, ius radicale) refutanda est. Ius ipsum est ius utendi matrimonio et, post ius ipsum, aliquid aliud «ius radicale», quod non esset idem ac ius ipsum, cogitari nequit. Contradiccio esset quemquam posse simul ius radicale affirmare ac ius ipsum tantum excludere.

Omne pactum, dummodo sit verum pactum, respicit ex sese, in quantum pactum est, ius ipsum et non solummodo usum iuris. Nam qui paciscuntur, quacumque de causa id faciunt, semper et necessario aliquid iuris faciunt, alteri aliquod ius sive tradendo sive limitando. Quod sequitur ex notione pacti. Hoc valet, sicuti pro omnibus pactis, sic etiam pro pacto de usu iuris matrimonialis. Qui paciscuntur de usu iuris (praesupposito vero pacto) et tali pacto usum iuris in suo futuro matrimonio limitare volunt, ipso facto et necessario excludunt, sive partim sive totaliter, sed iam revera *ipsum ius* et itaque invalidant consensum.

Rev.mus quintus Consultor dicit quod quaestio de distinctione inter ius et usum iuris quoad applicationem can. 1086, § 2 non eodem modo ponenda est a nostro Coetu ac in CIC. Nos enim in can. 1081, § 2 dicimus consensum matrimoniale esse actum voluntatis quo vir et mulier foedere inter se constituunt *consortium vitae coniugalis*. Oportet ergo inquirere quosnam effectus consortium vitae pariat in ordine ad obiectum canonis 1086, § 2. Videretur distinctionem inter ius et usum iuris fuisse aliquomodo necessariam quando consensus versabatur circa *ius in corpus* (can. 1081, § 2 CIC). Nunc autem, cum agatur de «consortio vitae» iam non videtur distingui posse inter ius et usum iuris.

Adunatio X^a
die 16 novembris 1968 – mane

De redactione can. 1086, §2 post Encyclicam Humanae vitae:

Rev.mus duodecimus Consultor dicit inquirendam esse notionem matrimonii in doctrina hodierna, in documentis Concilii Vatican II ac in Encyclica *Humanae vitae*.

Rev.mus Secretarius legit n. 8 Encycliae *Humanae vitae* ex quo appetet mutuam coniugum donationem esse veluti substantiam amoris coniugalis. Per talem «mutuam sui donationem, quae ipsorum propria est et exclusoria, coniuges illam persequuntur personarum communionem, qua se invicem perficiant, ut ad novorum viventium procreationem et educationem cum Deo operam socient». Iamvero *mutua donatio*, iam est factum quod attingitur a iure.

Rev.mus sextus Consultor dicit inquirendum esse in hodierna doctrina ut edicatur *quid aliud*, praeter ius in corpus, coniuges per consensum dent et acceptant, quo excluso matrimonio invalidum sit.

Rev.mus octavus Consultor censet definiendum esse quid importet consortium vitae coniugalis, id est quaenam sint elementa iuridica quae colligi possunt e «consortio vitae» prout nunc in sua realitate existentiali appetet. Non quod natura matrimonii mutata sit, sed quia nunc magis attendit ad alia elementa matrimonii quae parum in praeterito curabantur.

Rev.mus quintus Consultor duo quaesita studio Consultorum proponit:

1. Num post Encyclicam *Humanae vitae* limitatio iuris in actus coniugales consensus matrimonialem excludere possit;
2. Num exclusio cohabitationis (quae est veluti expressio concreta communionis vitae et mutuae donationis) consensum matrimonialem destruat.

Exc.mus tertius decimus Consultor meminit initio Sessionis, ad dubium Vº (num praeter dolum circa qualitatem personae, etiam dolus circa essentialem matrimonii proprietatem consensum invalidum reddere debat) responsum esse a nostro Coetu quaestionem esse tractandam occasione redactionis can. 1084. Oportet ergo redire ad can. 1084.

Fere omnes Consultores dicunt can. 1084, prout recognitum, talibus casibus quoque cavere, quia error, dolosus vel non, dummodo afficiat voluntatem, consensum vitiat. Quaestio ergo respicit tantum can. 1083 bis (de доло), quapropter quaeritur a Consultoribus num placeat completere can. 1083 bis his verbis:

« *Qui matrimonium init deceptus dolo...circa aliquam proprietatem essentialem vel circa aliquam alterius partis qualitatem etc...».*

Placet n. 1; non placet n. 12.

Rev.mus decimus Consultor petit ut fiat suffragatio placeatne redigere canonem in quo dicatur errorem substantialiem invalidare matrimonium.

Fere omnes Consultores asserunt talem canonem non esse necessarium quia casui de errore substantiali occurrunt cann. 104, 1082 et 1084; tamen Rev.mus sextus Consultor proponit ut, ad maiorem claritatem, can. 1084 initio ita compleatur: « *Firmo praescripto can. 1082, §1 error circa matrimonii unitatem etc...».*

Suffragatur propositio Rev.mi sexti Consultoris:

Placet n. 4; non placet n. 7; abstinent a sententia ferenda n. 2.

APPENDIX

SCHEMA CANONUM

Can. 1083 bis

Qui matrimonium init deceptus dolo, ad obtinendum consensum patrato, circa aliquam alterius partis qualitatem, quae nata est ad consortium vitae coniugalnis graviter perturbandum invalide contrahit.

Can. 1084

Error circa matrimonii unitatem vel indissolubilitatem, dummodo non afficiat voluntatem, non vitiat consensum matrimoniale.

Can. 1086

§ 1. Internus animi consensus semper praesumitur conformis verbis vel signis in celebrando matrimonio adhibitis.

§ 2. Recognitio dilata est.